



PRAEFATIO PRIORI EDITIONI  
PRAEMISSA.

**P**hilosophiam tradere, eiusque summam  
præceptionibus complecti, res adeo  
frequens est, vt, si quis supra vulgus  
sapere gestiat, libellos eiusmodi suis oculis  
plane indignos iudicet, tantum abest, vt ipse-  
met hocce defungi labore cupiat. Et fateor  
sane, laboramus horum scriptorum copia, qua  
tamen adeo nulla lux rebus obscuris affundi-  
tur, vt saepius claris etiam perspicuisque adi-  
matur, et quae plana sunt atque aperta, diffici-  
lia, & impedita reddantur. Quod cum olim  
mecum expenderem, firmiter decernebam,  
aetatem omnem silentio potius transigere,  
quam eiusmodi subire laborem, quo vt longe  
plurimi iam pridem se satis praeclare perfun-  
ctos esse arbitrantur, ita qui eundem in poste-  
rum suscepturi sint, nunquam defuturi essent.  
Nec mutassem sententiam, nisi summa, quam  
muneris mihi demandati attulit, necessitas,  
alias consiliorum meorum inire rationes, ius-  
sisset. Idque non sine causa a me factum  
esse, vt Te edoceam, *humanissime Lector*,  
omnino mea magnopere refert.

Postquam Hugo Grotius, vir summus &  
plane incomparabilis, magno ausu & felicif-  
simo successu eam moralis doctrinae partem,  
quae de officiis praecipit, quamque Iuris na-  
tura-